V^ir Clarissime
Amice humanissime.

Legi rursus maxima cum voluptate gratissimas tuas d. 30 Nov. Rastadii datas. Non nutriunt dumtaxat, sed auges mirum in modum spem, quam concepi de tuis observatis in Capite Bonae Spei. Haud absterreat te ab Editione ingens nimio Itinerariorum numerus, sed potius accendat et tibi et mihi et aliis, quos aequus amavit Jupiter, desiderium. Haud deficiet modus Epistolaris. Nec dubito, quin Francofurti, vel Lipsiae, vel in Belgio, Angliave aut Galliae inventurus sis Bibliopolas, qui laborem tuum quidem, quod decet, emolumento sint suscepturi. Erunt semper, qui ex tot Itinerariis, quae velut πίνακες sunt ἀξιόπιστα καὶ ἀρεστά, laudabunt inprimis tuum et recentius, et specialius, et vario Literaturae genere micans. Quod si saliva orbi curioso moveris uno alterove specimine, qualia sunt ex I. Parte, de Ecnephia, terrae fertilitate, sterilitate, temporum variationibus, Capitis B. S. descriptione Geographica et Politica, productis trium Regnorum; ex II. quae curiosiora habes de Hottentottis, Lingua, vivendi genere, et hactenus inaudita.

322v

Inquiras etiam, si <u>lumen accendere posses</u> <u>de Nationibus Hotten-
tis variis in interioribus adhuc Africae partibus, quibuscum
illi forte commercium habent.</u> Ceterum de Amore, amo atque aestimo
ut omnino optarem vires ipsas quibus Tibi et studiis Tuis
prodesse possem. Amat Societas Regia Gallica imprimis observa-
tiones Physico-Mathematicas: omne autem, quod ego hac in
re praestare possum, qui ipse non sum membrum illius Societatis,
est transmissio et commendatio tuorum laborum; et forte omne
id, quod sperare possis, erit commemoratio observationum tuarum
et Nominis Tui in Historia dictae Societatis. Vides, quod can-
dide tecum agam. Saluta quaeso officiosissime Excellentissimum
D. Hospitem et Mecoenatem Tuum meumque Goekelium
et quod facis amare perge

Tuum

Agen. d. 15 Dec. 1714

Da praesent. die 19 Xbr. 1714

J. J. Scheuchzer

Monsieur

Monsieur Pierre Kolb

Inspr. pres

chez Monsr. le

Sr. et Conslr. Goekel à Rastadt

6

323v